Augustianae Provinciae Polon. Stud. theol. Varsav: Thesaurus Divinae scientiae i. e. Conclusiones theologicae dogmatico polemico historico apologetico scholasticae.

Varsaviensium Augustinianorum

Thesaurus divinae scientiae (i.e. Conclusiones theologicae.

THESAURUS
DIVINÆ SCIENTIÆ

Sacrarum Literarum, Conciliorum, Patrumquè ac præcipuè Sanctissimi Solis, Doctorum Ecclesiæ, Thèologorum Primatis, multorum Antesignani Ordinum, Jlliceti Eremitici Luminis ac Patriarchæ AUGUSTINI Gemmis ditiori Gaza ac pretio Adamantum.

REFERTUS

Auro omne Pretiosum superante à *Złoty Potok*
JLLUSSTRJSSIMORUM PILAVITARUM

JOSEPHI
POTOCKI

Capitanei Leżayscésis. Catafrąctæ Cohortis Reipublicæ Polonæ Roth:magistri

PETRI POTOCKI

Capitanei Sniatynensis.

FRANCJSCI ac VJNCETIJ
POTOCKI

Posnaniensium Palatinidũm, magnæ expectationis Virorum auctus ditatus ac

CUMULATUS

Jn Eosdem Hæreditate Sapientiæ, Possesione scientiæ, ac Jntromissione Virtutum

DEVOLUTUS
CENSUM GRATJTUDINIS

Pro innumeris Beneficiorum Capitalibus ac Favorum acceptis Clenodijs, sub diebus Provincialis Capituli Mecænatum Faventissimorum Gratijs congregati.

SOLVENS

Ab Augustiniano Provinciæ Polonæ studio Thèologico Varsaviensi.

CONSECRATUR

Annô, quô Supremus Regni Cælestis Thesaurarius in Unione pretium dedit Salutis 1758. Die Septembirs. 24

Objectis satisfaciente Religios: F. Petro Geszka S.T. Studente Præsidentibus A.A.R.R.P.P. DOMINICO KARSKI & JOSEPHO MAŁACHOWICZ S.T. Lectoribus & Professoribus actualibus ejusdem.

Typis Varsaviæ S. R. M. & Reipublicæ Collegij Societatis JESU.

JNAVITA
DOMUS
JLLUSTRISSIMÆ
DECORA



I

Crux Regum frontes ornat, Crux Regna tuetur
Propria cur Vestræ gẽma PILAVA Domûs
Noverit ut mundus Lechis munimen in illa
Et decus & pretium, præsidiumquê situm.

II

Trinæ Scetra Crucis retinent fastigia Sũma
Ac Solum trinâ Scra Tiara nitet
Hac binâ & semi Vos Cælum & Patria donat
Sic media à Summis docet abesse Cruce.

III

Hujus spectat Honor Virtusquè Jnsignia (Stirpis
Hic dicit nostrum cernite Regna decus.
HASTÆ bella gerunt, Patriamquè tuentur (ab hoste
Atquè Fides trinâ sub Cruce tuta manet.
Non opus est lõgo deducere ab ordine Fasces
Jsti nam Domui præstò SENATUS adest
Pergite felices tantis Genitoribus Orti
Deliciæ MATRIS, deliciæquè PATRIS
Quô PJLAVITARUM, quô Stirps ZAMOY-SCIA floret
Vos celebres videat Curia, Castra, Forũ.

DEDICATIO

THeſaurum Divinæ Scientiæ pauper Auguſtini Eremus, vel inde, ditiſſima, nulli certius conſecrandum, conſervandumque cenſuit attribui, quam VOBIS JLLUSTRISSIMI DOMINI MECÆNATES GRATIOSISSIMI. Si enim hinc tributa iſti Theſauro Miſtico cõſideretur æſtimatio, iſtihinc Veſtra anima dvertatur Proſapia, mente revolvatur Progenies, nihil certe affirmare licebit, niſi Divinam ſcientiam, Sacram Thæòlogiam, Cœlici Roris Clenodia, ſupremi Numinis Beryllos: Domum Veſtram aurum mundum, coronam fulgidiſſimam, cui iſthæc Clenodia incigantur veſtro condecorentur croco. Velim attendant univerſi Domûs JLLUSTRISSIMÆ PILAVITARUM præſtãtiã, ecquid pretioſi eorum pupillam effugiet? ipſum Domûs JLLUSTRISSIMÆ initium pretio omnium ſuperat originem. Solimæi Coronatum litera Sacratior Cœlo quaſi demiſſum, Patrem Matremque non habuiſſe commemorat. Ec quid iſta velint? niſi eum immemorato tempore advениſſe. Vertite quæſo mentem veſtram ad aureos è fontibus Pactoli vel potius Poli Sarmatici, ceu ſatius cœlici profluentes rivulos POTOCCIANÆ JLLUSTRISSIMÆ PROSAPIÆ, cernetis quidem ejus ſluenta Gemmis auroquè redundantia, ſed fluctuum initia minimè reperietis, quamvis magna conſpicitatis indicia. Tangunt littora fluviorum fimbrias, aſt ad fontis originem non pertingunt. Gaudent ripæ denundantijs fluctuum, unde herbam, flores, fructus, ac inde ſuum ſortiuntur decorem, has in ſe favoribus plenas habere guttas sed unde profluant norunt? minime. Sentiunt quantum boni participant; ſed quàm bonum ſit quod habeant certò ignorant. Viam navìs in Mari, faſſus ſe ignorare ſapiens: non aliam fortè profeſſus eſt, niſi quâ in Sarmaticum littus Domûs Potoccianæ applicatum Clenodium. Enim vero Sapientiſſimi Poloniæ Scriptores, multa Pilavitarum, imo innumera memorando pro Focis Ariſque facta Heroica, de ipſis Heroum initis vel penitus ſiluerunt, vel nihil certi poſteritati tradidêre. non ob aliud, niſi quia Domûs antiquitatem attingere minime valuerunt. Jlli Seradienſem ei Palati-

na-

natum sedem, isti in Cracoviensi primum huic Domui nidum extitisse censuerunt. Cæterum nihil evidentis concluserunt, hoc non nisi Posteritatem docuerunt Domum Potoccianam toti Sarmatico Orbi ad palátum extitisse. Gloriantur nonnulli Domus Jstius attigisse fundamenta ex aurei torrentis omnibus pretiosissimis Gazis, ditioribus lapillis composita, sed quantùm se ipsos posterosque fefellerunt? Videndum est. *Zloty Potok* non Potoccianam invenit Domum, sed Domus hæc suo pretio Adamantes & Gemmas aureo injecit torrenti, non ex Eo Originē sed ipsi tribuens initium. Non immeritò semitrina Cruce insignita nisi quia cœlitus Polo Polono adveniens, & veluti inter Sacros Cineres frontem Crux obtinuit, ita inter JLLUSTRISSIMAS CELSISSIMAS, serenissimasque Familias primam Sacer Pilava occupat Sedem. Dolori igitur meo deflendum relinqvens me initia Domûs attingere non posse. Fato adscribens, ac im belli virium robori posse minime comprehendere Jntroitum exitumque Jstius familiæ; imo summè gadens quia in hoc Domûs initio quid Divinum invenio. Quid agam? si non sinit & temporum Vetustas, ne errem æternitas, & humilis svada antiqva ac profunda Domûs attingerere fundamenta; omittens non quia digna non sunt sed quia percipi non possunt, solùm svadâ meâ ingrediar ærarium. Videre mihi videor ad primum referantis se se hujus ditissimi Thesauri ingressum sicut cor tot tantarumquè affluentia opum mancipari, ita memoriam ab intellectu, intellectum fugari ab anima. Dum unius meminerit alterius cogitur oblivisci. Ac mens copia defatigata cogitandi, cognoscendi, in texta labirintho, rapta potius ab hoc Thesauro, quam inpsum rapi videatur. Sed perge ulterius rogo mens mea aviditate illecta cordis, Cor meum obsecro, alas menti adijcito ut hocce ab imis ad summa, a sursum usque ad ima pervolvet ærarium. Video innumera, considero pretiosa, judico prima æstimatione pretio infinita Clenodia, & velut tota Sarmatia meas pupillas irrueret quot quot lego Honores, quod Heroicas opes, ipsosque Heroes numero, hoc totum vel nullibi est, vel si est, totum hoc Domus POTOCCIANA habet. Jmo plus illis. Aliæ dignissimæ Prosapiæ Hippomenis cursu velut Atalantem honores prævijs licet insectantur virrutibus; soli POTOCCII cumulo contenti virtutum, fugere se ostendunt honores. quoties Augustissima, Jmperji Sedes Principum Ducumque contendit hoc in ærarium inferre Jnsignia, toties repulsam passa, Heroum conabatur audire responsa: se malle in Polono Agmine Nobilium qualem numerari civem, esse Nobilem, quam Ducum Authoritate præferri, hoc summo colens pro pretio, omnibus se parem videre, imparitatem nulli tribuere Nobilium. Contenti potius Equitem agere Polonum quàm Ducem Romanum nancisci. Hinc videre libuit veloces greisus PILAVITARUM, ad oleam Martis currere; sine Laurûs prætensione, malle potius victrici dextera decertare, quam certos Triumphatorum honores legere, inde suum honorem æstimantes in laboribus Reipublicæ in negotijs Patriæ, in denique Bellonæ pulveribus, Solones, Lycurgos, Aristarchos, Martesquè esse quam nominari. Quotidi-

tidi.

ridianum pretioso PILAVITARUM Pactolo Aurum arenam ceu in Reipublicæ dispendia dissipare propria dilapidare (si justum est hanc virtutem ita vocari), bona, ut lapides pretiosi Regni inde Diademati incingantur. Unio cum Sarmatica Aquila POTOCCIANÆ Domûs tot pretiosissimos genuit uniones, quoi ejus Polo fundit sudores, Nihil magni æstimantes quod aut Bellonæ pulveribus mistum, aut proprijs non sit irrigatum sudoribus. Hic Ganges Tagusque solus ZŁOTY POTOK, auro meritorum, Beryllis rectefactorum, Gemmis denique inconcussæ fidelitatis Patriæ, sua fluenta continuat, & quo plures in littus totius Sarmatiæ è sui profunditate jacit opes. eô numerosiores in eo generantur Quò latius hæ auricolores undæ in mare proripiuntur Polonicum eò uberius è fonte fluunt & non immerito etenim:

Vastum haurire licet, non exhaurire profundum,
Suggerit immenso gurgite pontus aquas
E fonte in fontem saliunt non segniter undæ:
Ut gemino melius flumina fonte fluant.

Larga dextera quoties Thesauros cernitur dissipare, toties hoc selectissimis amoris honorumque a PatriaGazis donatur ærarium. Jam verte tua quœso mens omnis lumina pupillâ nitidâ radiantia attende Clenodia. Summam pretij vel in de felicior Polonia non in copia auri quo solum fæcunda Parens Progenitore Titane donat Nationes reponens; ast sua arte marte cusore illa efficit; Hinc ejus Soboles pro Gazis rectè gesta ceu pro muro pectora habuere. Degener minimè a Sarmatiæ dotibus PILAVA JLLUSTRISSIMUS pati satius pro Republica incommoda, belli portare æstus, Bellonæ misceri pulveribus, quàm Honorum dignitates Gloria & honore comitantibus amplecti paratus semper &: ideo post innumera Togæ Sagique insignia non expectare mercedem nactus, sed ipsum laborem sortiri pro præmio. Libeat hanc generosi animi dotem in STANISLAO [ut propiùs accedam] admirari: sceptra tenente Serenissimo JOAN: CASIMIRO, qui sicut miro Casu honoris consecutus ascensum, ita multis pressus adversitatum turbinibus vix non sepeliri in antipodis adversæ diceretur fortunæ, ni auro pretiosiore hujus STANISLAI POTOCKI Palatinî Cracoviensis a fædifragis subditis ad Guzoviam, â Moschis ad Smolenscum à Tartaris ad Chotimum & Cecoram redimeretur. Cum nunc consilio, nunc pugnæ dexteritate illos ad concordiam cæteros ad ignonimiosam fugam coegit. Spolium quod inimica eripuit manus, dextera STANISLAI unicuique suum restituit. Hic ILLUSTRISSIMUS Heros sexaginta Annorum decursu in Martis Acie cũ cõtinuo in loco campestri verus Poloniæ Hercules stetisset, turbam discipulorum quos suis virtutibus ceù Magistris instruxerat, Patriæ consecravit. Fortassis quispiam subaudiet nostrum STANISLAUM pro labore laudis, honoris merces expetere, mercedẽ exquirere, expectare post oleã laboris Triũphi Laurus, a Majestate ?minimê, Post tot pugnas, innumeros post Duces sua manuCaptivos Septuagenarius, viribus ac ætate cõsumptus lass.s mẽbris, non

cor-

corde, bello nuntium mittit, quietam à Majeſtate vitam precatur, O! Hero, em veriſsimum O Domum POTOCCIANAM ditiſsimam! quis Vestram non admiretur virtutem in STANISLAO? laborat toto Sæculo mercedis munere nihil quærens. STANISLAE tua mēs quorſū fertur? pete, quid ajo? impera Majeſtati ut Tua virtus Coronam accipiat. Quid ad hæc? Videre mihi videor reſpōdere STANISLAUM illa Civis Romani STANISLAO digna verba: meo ſudore irrigavi Polonū tellus ut multi honoribus crescant, ego quiescā, vel inde satis conſecutus honoris. Celeri Metropolim Ruſſiæ Leopolim petit greſſu quieti cupiens indulgere honoribus abdicatis. Aſt non patitur ipſa ſuperum moderatio deeſſe prœmiū Virtuti, laborum coronidi Coronam non tribui. Jam mediū peregit iter Leopolim, ille qui pugnis pugnos inflixit inimico, viscera terræ lemete reſecantem viam propè invenit ruricolam. Fatum dicetis fortaſſe? abſtit! Superûm providentia ſuis præſagijs a terrena Majeſtatate locupletandum honoribus, fungientem in ſequitur STANISLAUM. Jnopinato eventu ferream Clavam STANISLAI meritis in terræ visceribus reſervatam boves extrahunt, aratrum elevat ruricola feſſo poplite arripiens, vel inde Sapientiſſimus Jdiota quia STANISLAI noſcens merita æquo inſidentem adit poſt ſe Majora ducturam offert clavam & ſimul vaticinatur. Minime cupidus honoris STANISLAUS Clavam humanitatis ingenitæ gratia ſuſcipit innato POTOCCIIS remuneratur favore, quid ſit eventurum proruſus non cogitans. Felix adit Urbem ubi Civem ageret. domi ſuæ quietem laſſis vix membris concedit, ecce ſpem ultra ita minimè ſperans ſicuti volens etiamnum minimè, hoſpitem Prænobilem Perilluſtrem ſuis Laribus inducit Lanckoronſki qui Ei a Rege ſalutē præcatur Ducemquè veneratus auream offert Clavam. Hoc ſtimulo incitatus STANISLAUS Caſtra repetit, arma arripit hoſtem proſtrat, Patriæ victorias præſtat. Hunc in Theſaurum intulêre multa imo innumera recte-geſtorum Clenodia & Cæteri Domus PILAVITANÆ Herôès, quorum ſi mens ſeriem Anguſtæ paginæ inſerere in Votis habet, certo vix in vitæ periodo perorabit. Sufficit ad Gloriam JLLUSTRISSIMORUM PILAVITARUM proferre & aſſerere quemvis POTOCIUM Virum Pacis & Belli artibus Clariſſimum cui & oris docus & morum elegantia defuit nunquam. Hac in Domo præterea pro fidelitate in Rempublicam, ac Fidem Orthodoxam, fuit laboris, inediæ, álgoris, vigiliæ, patientia ſumma, Pietas modeſtia, liberalitas, cæteræque Heroici animi dotes, Hinc eſt quod grata ſuis Filijs Patria in hoc ærariumplurimos ad invidiam Gentium pretioſiores intulit honores & Gratijs cumulavit. Quot Senatorias hic legis Curules? intueris Exercituum Regni Supremos Duces? Zawichoſtenſes, Lublinen, Woynicen, Seradien. Sandomirien, Wiſlicen, Randomſcen. Camenec, &c: conſideras CASTELLANOS? Braclavienſes, Kijovien, Smolienſcen Wolhiniæ, Belzen, Cracovien, Czerniechovien &c: Numeras Palatinos? Hic Regni Scipiones. Podoliæ & Majoris Poloniæ Generalis Jurisdictio Nætariatꝰ RegniSublimitas imo ipſa Vice-Regia ac Primatialis Dignitas ſuam elegit metam, quærit digniſſimos ſuæ Celſitudini Viros Aptiſſimos. Hic Tłomacenſis,. Laticzovien; Bialo.Kamienen,

Hali:

Halicen, Baren, Gorden, Kolomiscen, Moscicen. Drahimen. Radomien. Lezayscen. Sniatinen. Dolien. Horodlien. &c: Capitaneatus ultro a Majestate offeruntur Verbo absolvam, totum quod Polonia habuit honoris Domui JLLUSTISSIMÆ POTOCCIANÆ consecravit. Propius igitur ad ANDREAM Celsissimum Cracoviensem Castellanum Ducem Supremum Regni exercituum, Vestrum JLLUSTRISSIMI Mecenates Proavum descendendum propono: hic nihil videre possum, quod aut honore non fulgeat aut maximas virtutes non spiret. Unum tantum hujus viri attingam Elogium, loquar Encomium. Heros hic prœ magnitudine scientiæ, magnanimitate virtutum ad maxima se se natum Patriæ demonstrauit. Unde JOANNES III REX POLONIÆ Jnvictissimus, Orbis CHRISTIANI ad Viennam profecturus Salvator ne Pater Matrem pupillam relinquat Poloniam multa in Crucibus POTOCCIANIS ei benedictiones precatus, CELSISSIMO ANDREÆ custodiẽdã tutandam que comisit, spe fretus speciali, nullis sub auspicijs tutiorem manere quam Sacro insignitam PILAVA, quod & ipso effectu demonstravit Hic JLLUSTRISSIMUS & ut verius agam Pro Rex SERENISSIMUS qui suis vigilijs se magis ad Regnum aptum quam Regem demonstravit. Nonne hoc est summis refertum opibus ærarium quod suis inædiebus Domus POTOCCIANA habet. Tolle Aurum, Berillosab Jndia, Achatem Siciliæ, Adamantes Ethiopiæ, Smaragdum Scythiæ, Carbunculum Carthaginis, Jrydem Persiæ, Gemmas Erithrei, æqua lãce libra nihil certe pretij in omnibꝰ invenies quo POTOCCIANA Domus non redoleat, imo omnium superant valorem, excedunt Dignitatem. Quid igitur de JOSEPHO. CELSISSIMO. Avo vestro proferamus an omnino silebimus? satius venerabundo silentio transeundum censuerim quam imbelli tantum Heroëm celebrare Elogio, & quod Augusto Cæsari Romani cecinêre Cives Auguste sæcula sola tibi laudes canant, hoc devinctissimum Nomini & honori JOSEPHI decet animum: JOSEPHE sola sæcula Tibi laudes canant. Transeo dictione multas virtuosas actiones. prætereo invictas pro honore PATRIÆ Pugnas, mille reportatas victorias, non fero in medium gesta Heroica, æternitati illa describenda relinquo. Satis demonstrare videor si Patrem in filio etiam post fata vixisse assero, JOSEPHUM CELSISSIMUM in JLLUSTRISSIMO STANISLAO PALATINO POSNANIENSI, VESTRO MECÆNATES GRATIOSISSIMI PROGENITORE, QUI CUM SMOLENSCENSEM & post KIJOVIENSEM Curules occuparet, tandem Gratia FELICISSIME REGNANTIS REGIS SERENISSIMI AUGUSTI III ad Posnaniensem evectus. Jta Majestati Polonæ Charus sicut cumulo virtutum ac meritorum refertus. Memoria retrahant lapsa tempora & totum vitæ STANISLAI Auro cedroque notent decursum. Multoties pro libertate Legatum Comitiorum intuebitur in curulibus Senatorijs defensorem auscultabit, Marsechallum Comissionis Radomiensis multoties judicabit æquissimum Regimentarium pro dignissimo Parente suo Generalem experietur. verbo absolvam sicut sui Antecessores in hoc POTOCCIANÆ Domûs ærarium merita, dotes, ac Sangvinis CELSISSI-

MA-

MARUM, JLLUSTRISSIMARUM, WAZYNSCIORUM, PSARSCI-ORUM. KOSCIELECIORUM. SAMBORZECCIORUM, LUBOMIRSCI-ORUM, PLASCIORUM, SZWARCZOSCIORUM, STRASZKOWCIORUM, GAWRONSCIORUM, GRUSZYNSCIORUM MIESZKOWCIORUM, ZAIĄCZKOWSCIORUM, KOZIEROWSCIORUM, KOZIMINSCIORUM JAZŁOWIECCIORUM, SMIOTANKORM, KORYCINSCIORUM, OSTROZANSCIORUM, WESSLORUM. MAKOWIECCIORUM, MYSZ-KOWSCIORUM, WORONIECCIORUM, CZERMINSCIORUM, TURSCIORUM, WOŁUCCIORUM, KALINOWSCIORUM PRUSI-NOWSCIORUM, KAMIENIECCIORUM, PIASECCIORUM GOLSCI-ORUM, KORRECCIORUM, HUMIECCIORUM, ZAMIECHOWSCI-ORUM, BUCZACCIORUM, RADIVILIORUM, SIENAWSCIORUM, OSTROROGORUM, PRZERĄBSCIORUM, RYSINSCIORUM, FIRLEIO-RUM, WIELOPOLSCIORUM, DONHOFFORUM, LESZCZYNSCIO-RUM, WISNIOWIECCIORUM, SMIGELSCIORUM, KOSSAKOW-SCIORUM, MNISZHORUM, MOSZYNSCIORUM, CETNERORUM, SAPIEHARUM, KĄCCIORUM, CHOTKIEWICCIORUM, &c: Familiarũ præſtantiam intulêre ita Hic JLLUSSIMUS PALATINUS primis votis in JLLUSRRISSIMA Bełżenſi Palatinida Conſorte Sua ŁASZCZORUM di-dignitatem & merita Theſauro adjecit & aggregavit. Secundis utinam ſemper Secundiſſimis Jlluſtriſſimo Zamoyſciorum junctus ſacer PILAVA Jelitæ in Jlluſtriſſima Sarmatiæ Pandora HELENA Palatinida Smolenſcenſi Victurâ Domina æviterne in hoc ærario ſicut fortia Heroum Geſta Sapi-entiſſima ſuæ Familiæ in Rempublicam conſilia, ac a Patria oblatos Za-moyſciijs collo cavit honores, ita hæreditavit virtutes. Habet Domus hæc non terræ tantum & mundi Theſauros aſt ſuperos etiam & aſtra mercatur, hinc unione pretioſiſſimo ditari cupiunt in aras, Divos Servosque Divo-rum pietate. Multas propterea Divorum ædes, libet non nullas nomina-tim attingere Ciſtercienſium Andreoviæ, Sniatyny, Rubieſzoviæ Jeſuopo-ly Halicij Skołczynij in Tuliſzki & *Złoty Potok* Prædicatorum Ordinis, Joſephoviæ Zbarazij Chriſtinopoli, Sokalij, & ibidem altare argenteum, Gwozdeccij, Sprinborgy Patrum Bernardinorum Staniſſavoviæ Craſno-ſtaviæ Leopoli, Varſaviæ Patrum Societatis JESU. Podhaycij Cameneci Catmelitarum diſcalceatorum Chriſtinopoli TomaſzoViæ Brahylovij Le-opoli, Trinitariorum Sokalij Monialium Sanctæ Brigittæ Szedziſzoviæ Capucinorum Lovicij Scholarum Piarum & FF. Chlaritatis. &c. quas ſua munificentia vel a fundamentis publicæ oſtendit luci, vel magna ex parte partim reditibus dotibusque partim inſtauratione Manus ir-retorta ditavit, decoravit. Emula Staniſlai virtus in hoc etiam pal-mam præripere patitur unquam, contenta minimè Cæli Theſauros in Cordis pati ergaſtulis totius Sarmatiæ pupillis conſpiciendos concedit. Mitto multa omitto innumera ſufficit quod Grates rependat æviternas ipsa puſilla Magni Patriarchæ Augusſtini Familia quæ a Munifica Ve-ſtri Parentis JLLUSTRISSIMI dextera condonatur. Clamat de Pariete

lapis

lapis Sancta crudelitate diffectus ut rara pietate STANISLAI conjunctus ædem Divis Servisque Divorum sua mole, STANISLAI impensis efficiat. & in hac conventione Conventum faciat Zaloscensem. Non est contentus Mecænates JLLUSTRISSIMI Vester Progenitor guotidianis Aurelij Filios auri subsidijs adjuvare, nisi etiam Augustini hæredibus splendidum erigat Augustale Testem que suæ Munificentiæ æternitati linquat lapidem in pietatem compositum, Donet Domum. Quit tandem ? & circa Cor Augustini sua præcordia versentur continuo, Simile sibi adjutorium PILAVA CELSISSIMUS Jelitam JLLUSTRISSIMUM sicut in omni, hac in parte adlegit potissimum. Et certe melius semitrinæ POTOCCIANÆ Crucis nemo scivit virtutem, potuit conservare. honorem quam HELENA PILAVÆ amantissima. Nullus avidius ad Thesaurum Domus potuit excubias agere quam Heroum hastis fretus Jellita JLLUSTRISSIMUS Quid Auro Vestro pretiosius? Gemmis ac Berillis Domus Væstræ præstantius ? Gloria Parentum in Filijs Vos Soboles tenerrima Vos integerrima Gloriæ STANISLAI, viva virtutis HELENÆ Jmago, Mecænates JLLUSTRISSIMI. Superat omne quod nomine pretij gaudet nativus iu vobis Parentum valor, indita eorum vigilantia in nata Vob's evirtus. Hinc Pater mille in Crucibus benedictiones impertitur Mater hinc hastis ab omni honoris virtutis que maxime tuetur infortunio. Et hoc est quod vestris de Parentibus pretiosi accipitis. Vident, singuli admirantur universi. Vestrā modestiam in agendo, in perficiendo dexteritatem, Majestatem in procedendo, vittutemque potius sub Vestro nomine militare, quam vos virtutis Heroes esse affirmant. Non est pupilla quæ Vestras non aviditate intueatur nou ad miratione notet dotes. Timet quidpiam de Vobis dicere Mens intendentium ne adversæ loquelæ a virtutibus Vestris pænas luat, vel non satis digno celebrando Encomio incurrat vituperium, Timorem Superorum maxime in Vobis Sapientiæ considerando initium. Quis igitur dignas tanto Nomini & Vestris virtutibus condignas valebit ferre laudes? nihil ita dignum intellectus excogitat. lingva dicit, pagina continet, Vestra sicut fulgent Gesta virstus radiat. Vestras igitur Laudes vel a Vobis ipsis mutua conversione fas est exquirere sicut Philipi Macedonis Laudes solus extitit Alexander, Alexandri Philippus, ita Vestra Encomia in Parentum honore & virtutibus, Parentum virtus & Gloria in Vestris recte gestis includuntur. Thesaurus Domus Vestræ in Vobis JOSEPHO accrescit; PETRO solidatur. in Francisco! Vincentio victrices colliget Palmas. legæt honores Cui nequid desit, ne sit quod Ejus pretio detrahatur, Dives in jurata Paupertate Polona Provincia Nostra, vel inde ditissima quia superum Thesauros ambit & possidet, e Thesauro Divinæ sapientiæ Censum pro innumeris Gratiarum Capitalibus in Thesibus Theologicis (habens minime unde vobis Grates rependat ni pro Vobis agat supremo Numini Gratias] solvit. Vestris in Vos jam pridem

Vir-

Virtutibus devolutum. Et ſicut in ſuis Gazis immortalem, infinitum; immenſum pro Nummo Numen Hypoſtaticam Unionem pro pretioſiſſimis Clenodijs ſortitur & profitetur, ita vos & decori Patriæ & Domùs honori & denique pietati oportunos ſi non æternos vivere, honoribus Augmentari ad ſumma creſcere, ſaltim diuturnos precatur.

Nomini &c.
Honori Veſtro
Devinctiſſimum ſimul ac obligatiſſimum
Studium Provinciale
Theologicum Varſavienſe.

CONCLUSIONES
THEOLOGICÆ
Dogmatico Polemico Historico Apologetico Scholasticæ, Sacris eloquijs, Auctoritati Patrum, præcipue AUGUSTINI, & rationi innixæ.

DE DEO UNO

THeologiæ primo in vestibulo à falsis heterodoxorum imposturis, quam *Scholasticam* nuncupant, est vindicanda; ea siquidem utilis est, necessaria, & ád profligandas hæreses fidemq; servandam aptissima II. Theologia isthæc proprie ad scientiam refertur. III. At non est ejusdem rationis cum aliis scientiis. IV. Quamquam principia Theologiæ super-naturali lumine innotescant, ea tamen ad naturales scientias pertinere videtur V. Obiectum *attributionis* Theologiæ est DEUS: *Formale*, revelatio Divina: *adæquatum*, omnis conclusio quæ inferri potest ex propositionibus fidei. VI. Valde probabile est impressam esse sin gulis hominibus ab universorum auctore Ideam sui. VII. Hàc ideâ DEI nobiscum genitâ supposita facile demonstratur DEUM ipsum existere. VIII. Verumtamen Athei alijs quoq; momentis convincuntur. IX. Quum hæc enunciatio, *DEUS existit* sit nobis sese nota ac manifesta. X. Nullus quantum vis aggrestis ac barbarus potest Creatorem suum invicibiliter ignorare. XI. DEUS Unus est XII. Quare non dantur duæ summæ ac principes causæ, quarum una sit cujusq; boni altera malorum omnium effectrix. XIII. Constituitur metaphysice DEI Natura per *esse à se.* XIV. DEUS est ineffabilis, id est, licet plura vocabula significent Divinam Essentiam, aut attributa, prout à nobis percipiuntur, nulla excitant ideam Divinæ Naturæ prout est in se. XV. Divinorum nominum alia Divinam Naturam ac Substantiam significant, alia attributa XVI. DEUM esse Autropomorphon neq; S. Epiphanius, neq; Audius existimaverunt. XVII. Bene vero Melito Asianus Sardensis Episcopus. XVIII. Tertullianus item: XIX. Utut sit, DEUS est purus ac simplex, Spiritus XX. Et omnis intrinseca distinctio est à DEO procul eliminanda quocumq; nomine nuncupetur, sive *realis*, sive *formalis*; sive *virtualis*; enimvero Divinorum attributorum distinctio nulla est, nisi penes diversa connotata. XXI. Gilbertus Porretanus Pictavorum Antistes distinxit DEUM ab essentia, Personas à relationibus, & omne concretum ab ab stractis; at non Divinas ab invicem proprieta-

prietates. XXII. Comes simplicitatis infinitas DEO asserenda. XXIII: Immensitas, contra Conradum Worstium Calvinianum, Wolzogenium, aliosq; Socinianos. XXIV. Immutabilitas. XXV. Eternitas. XXVI. Ubi jure ac merito exploditur Valentiniana Aeonum fabula. XXVII. Et lumen illud increatum sempiternum, in quo Græci Palamitæ se DEUM videre jactabant. XXVIII. DEUS infinitam habet potentiam. XXIX. Unde potest plura facere quæ non facit. XXX. Imo meliora ijs, quæ fecit. XXXI. Est summe verax, neq; potest esse seductor, aut auctor mendacii. XXXII. Solo naturali lumine nequit ab aliquo creato intellectu intuitivè videri: XXXIII. Bene vero áb intellectu supernô lumine circumfusô XXXIV. Hoc supernum lumen, quod *lumen gloriæ* appellant, est ipse DEUS, sive est Divinum & increatum lumen Beatorum menti intime affulgens, suoq; fulgore ac motione imprimens illi qualitatem & habitum, qui tamen non est entitas quædam realiter distincta ab anima, sed ejus ordo, affectio, & modificatio, XXXV. Intellectus creatus DEUM videns non potest illum comprehendere. XXXVI. Hanc solam cõprehensionem possibilem esse intellectui creato, negavit Chrysostomus, non visionem DEI in se. XXXVII. Neq; Theodoretus, neq; Hieronymus visionem Divinitatis credidêre impossibilem. XXXVIII. Augustinus constanter tradidit atq; firmissime, oculis carneis non posse conspici DEUM, & ipse omnia suppeditavit argumenta, quæ proferunt hac in quæstione Theologi, imo & alia clarissima: quare immerito hac de re dubium notare scribi lib: 7. Theologicorum dogmatum cap: 2. Petavius. XXXIX Utrum post resurrectionem Beatorum corpora futura sint spiritualia, & oculi alterius ab istis naturæ, ac proinde tunc saltem visuri DEUM, est alia quæstio à præcedenti:& hanc quamvis Augustinus prudentissime non definivit, demonstrat tamen accurate se minime probare. XL. Magis ad Sacras literas accedit, DEUM neminem hominum vidisse unquam. XLI. Hinc et à Enoch & Eliam DEI conspectu nondum potiri, nisi forte momentaneis raptibus ac transeunter, probabilius est XLII. Figmentum est & anilis fabula mille annorum Regnum à Cerintho excogitatum, & à Papia licet tolerabilius inductum. XLIII. Nec ad minimum tempus exutis corporibus animabus DEI visio & gloria differtur, si nullâ conspersæ sint macula. XLIV. Id ad firmat Ambrosius & Bernardus. XLV. Porro Augustinus, quod fluctuet de secretis receptaculis animarum, est summæ ejus perspicacitatis indicium: at de gloria & felicitate non dubitat. XLVI. Piorum animas ante corporum resurrectionem DEUM non videre, neq; ut privatus Doctor asseruit Joannes XXII. XLVII. Inæqualis gloria meritis inæqualibus reservatur: XLVIII. Causa moralis hujus inæqualitatis est meritũ; effectrix vero est lumẽ gloriæ, quod pro meritorũ ratione illustrat mẽtẽ, infiãmatq; corda Sanctorum. XLIX. Est in DEO omnis plenitudo Scientiæ. L. Hinc nulla est creatura sivè possibilis, sivè futura, sivè præterita, sivè extans nunc, quæ DEI subterfugiat Scientiam. LI. Neq; latent Divinam Scientiam futura quælibet contingentia &

& conditionata: imo nec peccata. LII. Ex Divina præscientia non consequitur inevitabilis contingentium eventus. LIII. DEUS non prædeterminat actiones liberas naturales, nec proinde videt eas in efficaci suæ voluntatis præfinitione. LIV. Idq; etiam juxta inconcussam Divi Thomæ doctrinam. LV. Nec actum, cui adnectitur peccati malitia. LVI. Angelico Doctore iterum suffragante. LVII. Innocens creatura auxilio prædeterminantis gratiæ non indigebat, & consequenter minime novit DEUS perseverantiam Angelorum in efficaci suæ voluntatis decreto. LVIII. A quo non recedit Doctor Angelicus, imo nec Ægidius Romanus. LIX. Si accipias scientiam *mediam* pro certa præscientia futurorum ordinis naturalis, sive supernaturalis, in statu naturæ innocentis, nec non operum malorum ejusdem status absq; ullo prædeterminante decreto, admittendum est vocabulnm scientiæ *mediæ*. LX. Præscientia peccatorum in statu naturæ lapsæ spectat ad scientiam *visionis*, non ad scientiam, quam vocant *mediam*. LXI. Si accipiatur scientia *media* pro cognitione conditionatorum, quæ non sit neq; scientta *visionis*, neq; scientia *simplicis intelligentiæ*, neq; in præsenti statu, neq; in statu innocentiæ locum habet. LXII. DEUS videt futura libera ordinis supernaturalis, quæ spectant ad statum naturæ lapsæ, dependenter ab efficaci decreto. non per scientiam *mediam*. LXIII. Nemine prorsus excepto DEUS vult omnes homines salvari voluntate. ut vocant, *antecedente*. LXIV. Hæc voluntas salvandi cunctos, est in DEO vera, propria, atq; sincera. LXV. Gubernat DEUS providentiâ sua omnia, etiam abjectissima quæq; ac minima. LXVI. Est in DEO opposita necessitati libertas. LXVII. Quæ constituitur per actum sempiternum ac neeceslarium Divinæ voluntatis â substantia indistinctæ, prout connotat objectum creatum, effectum contingentem & defectibilem. LXVIII. In dogmate prædestinationis & gratiæ recedendum non est ab Augustini doctrina. LXIX. Erronea est animarum præexistentia, quam finxit Origenes, ac proinde commentitium meritum prædestinationis comparatum ante illarum unionem ad corpora. LXX. Non prædestinantur Electi ex prævisis meritis comparandis sola facultate liberi arbitrij; neq; ob præscientiam fidei; aut bonæ voluntatis ex solo libero arbitrio naturaliter prodeuntis; aut liberæ acceptationis & boni usus arbitrij antecedenter ad gratiam nec deniq; ob præscientiam moralium virtutum. LXXI Prædestinationem ad gloriam esse instatu naturæ lapsæ gratuitam demonstratur ex sacris literis. LXXII. Sanctus Pater Augustinus hanc docuit appertissime. LXXIII. Et Patres alij LXXIV. Imo ipsa Ratio Theologica Augustinianæ de gratuita ad gloriam prædestinatione sententiæ plurimum suffragatur. LXXV. Prædestinatio tam respectu DEI, quam hominum Electorum, est omnino immutabilis; ex parte tamen DEI certa est ex parte hominum prorsus incerta. LXXVI. Hæresis Prædestinatiana nulla fuit in Monasterio Adrumetino Augustino Superstite. LXXVII. Aut in Gallijs Celestino I. Pontifice Romano. LXXVIII. Nec Gothescalcus Prædestinatianus fuit, licet veram causam imprudenter susceperit defendendam, LXX-

LXXIX. Certo temperamento servato prædicanda est populis Augustiniana de Prædestinatione Sententia. LXXX. Magnus est numerus Electorum. at valde exiguus, si comparetur cum numero damnandorum. LXXXI. Calvinianum de reprobatione dogma horrendum est detestabile, & omni execratione dignissimum. LXXXII. Reprobatio negativa suam ex parte reprobi causam habet, nempe originale peccatum.

DE PECCATO ORIGINALI.

LXXXIII Transfusio peccata originalis ex veteri Testamento evincitur. LXXXIV. Eadem, Catholica veritas confirmatur novi Testamenti locupletissima auctoritate. LXXXV. Ex scriptis veterum Patrum depromi possunt pro originali peccato luculentissima testimonia. LXXXVI Sive supposita Fide, sive absolute loquendo ex miserijs, quas modo patimur, probari potest originale peccatum. LXXXVII. Originale peccatum non est mala quædam ac perversa substantia, ut affirmavit Illiricus. LXXXVIII. Neq; ipsum Adami personale delictum. LXXXIX. Sed est concupiscentia, cui inest reatus culpæ. seu privatio originalis justitiæ; adeo, ut concupiscentia sit originariæ culpæ, quasi *materies*, reatus vero sit illud, quod Theologi appellant *formale* peccati XC. Cōtrahitur originalis noxa propagatione naturæ, eo quod cōcupiscentiâ & libidine seminetur corpus, cui lege providētiæ anima â DEO inseritur. unde hæc carnis consortio vitiatur: & quoniā corpus præcōtinebatur in lūbis Adæ, is cōmunē naturā infecit; ita ut originarium peccatum fit ob hanc præcontinentiam singulis proprium, & originaliter voluntarium, non quod voluntates nostræ moraliter continerentur in Adam aut cum eo DEUS pactum aliquod inierit. XCI. Scelus Judæorum, quibus Auctoribus Christus suffixus est cruci, nequit appellari peccatum naturæ pervadens in posteros. XCII. Pueri decedentes, priusquam sint regenerati baptismate, supernaturali beatitudine minime potiuntur. XCIII. Fictitia est quoq; illa naturalis beatitudo, quam benigniores quidam iisdem infantibus pollicentur XCIV. Hi enim parvuli morientes absq; regenerationis lavacro, dolore aliquo afficiuntur. XCV. Imo & plectuntur pænâ sensus, licet in comparatione adultorum, mitissima.

DE LEGIBUS.

XCVI. Leges, ut obstringant, certas postulant conditiones. XCVII. Quæ si adsint, etiam justos vinciunt homines. XCVIII. Lex naturalis abrogari non potest; neq; dispensationem admittit. XCIX. Vetus testamentum est â DEO; & Moyses fuit duntaxat veteris legis promulgator. C. Lex vetus bona fuit, non, ut quidam hæretici commenti sunt pravis constituta præceptis. CI. In tabulis Moysis ita distributus erat Decalogus, ut prima tabula, quæ ad cultum Dei pertinent priora præcepta contineret, altera reliqua, quæ ad amorem proximi. CII. Primo Decalogi præcepto simulacra duntaxat idolorum, & imagines ad adorandum conflatæ, non

om-

omnes; promiscue prohibebantur Judæjs. CIV. Eo vero, sicuti & ceteris decalogi præceptis traditur rectissima agendarum rerum mensura. CV. Ritus pariter legales, seu secundaria Judæorum præcepta fuerunt optimo providoq; consilio instituta. CVI Lex vetus duntaxat in morte Christi desiit obligare, quantum ad cæremonialia præcepta spectat. CVII. Non statim tamen à morte Christi legalia fuerunt mortifera. sed ad vitandum scandalum & ne lex Mosis tanquam impia reijci videretur, licitum fuit aliquando veteres cæremonias servare. CVIII. Hinc Apostoli non observarunt legalia prudenti quadam simulatione, sed ex animo. & sincere; sicuti & absq; simulatione Paulus restitit Cephæ intempestive ipsa legalia usurpanti. CIX. Heterodoxi jactantes, nihil præter fidem præceptum esse in Evangelio, toto Cælo hallucinantur. CX. Ad legem *humanam* nos convertentes asserimus, à Legislatoris potestate atq; arbitrio pendere, an in Provincijs, an in sola Metropoli lex debeat promulgari, quemadmodum an statim post promulgationem, an vero post certum tempus subditos stringat; ideoq; si Legislatore mandante lex in Metropoli absq; ulla exceptione publicetur, statim obligat omnes subditos, ad quorum potest pervenire notitiam. CXI. Neq; lex Civilis, neq; Ecclesiastica à populi acceptatione dependet. CXII. Humanæ leges, etiam Civiles ligant in interiori conscientiæ foro; non semper tamen cum gravi nocumento, & periculo vitæ. CXIII. Potest Ecclesia interiorem quoq; actum per se ac *directe* præcipere. CXIV. Potestates sæculares non habent auctoritatem aliquam aut imperium statuendi leges Ecclesiasticas. CXV. Competit Ecclesiæ Pastoribus non solum munus svadendi & declarandi. sed etiam auctoritas & potestas coactiva, qua possunt suarum legum fractores vi, & imposita necessitate compescere. CXVI Minime pugnat cum Spirituali Ecclesiæ regimine temporalis jurisdictionis regniq; potestas; & reapse summo Ecclesiæ Pastori utraq; simul præfata competit potestas. CXVII. Legislator; & ipse aliquo pacto proprijs legibus obstringitur. CXVIII. Advenæ ac Peregrini, locorum ad quæ accedunt, tenentur legibus, non proprii, unde abierunt, territorii. CXIX. Clerici legitime possident bona temporalia quæ ab omni civili onere gaudent immunitate; ita ut illi cogi non debeant ad tributa solvenda, neq; ad munia Laicorum obeunda. CXX. Immunitatem Ecclesiasticam sive locorum, sive Personarum, quocumq; jure sit inducta-nequeunt Principes sæculares temerare, aut minuere. CXXI. Decretales veterum ante Siricium Pontificum Epistolæ ab Isidoro collectæ, sunt interpolatæ, & magna ex parte suppositæ, non tamen reijciendæ tanquam Apostolicæ doctrinæ fideiq; adversantes. CXXII. Canones collecti à Gratiano non aliam habent auctoritatē, quā fontium locorumque, undesunt derivati. CXXIII. Canones Apostolici etiam primis Ecclesiæ sæculis obtinuerunt.

De Officijs, seu Actibus humanis.

CXXIV OMnia opera quæ cum libertate patrantur, *in individuo* vel honesta sunt, vel prava. CXXV. Externum tamen opus nihil per se addit decoris, aut turpitudinis interiori voluntati in rem honestam, iniquam;

ve deliberate vergenti. CXXVI. Nihil aliud eſt juxta Auguſtinum *Virtus*, quam ordo Amoris, quo ſervato vel fruimur DEO, vel utimur creaturis. CXXVII. Peccati malitia in rectitudinis privatione conſiſtit. CXXVIII. Admittenda ſunt peccata genere ſuo venialia. CXXIX. Quæ mortalia dicuntur, habent malitiam moraliter infinitam. CXXX. Fictitium eſt peccatum Philoſophicum. CXXXI. Ignoratio juris naturalis, ſi invincibilis ſit, à peccato excuſat: ſed nullus hominum compos ſui talâ ignorantiâ laborat quantum ad univerſalia principia & proximas conſecutiones. CXXXII. Si tenuis ſit *probabilitas* opinionis, in qua forte verſamur, eidem morigerari, iniqvum eſt, CXXXIII. Univerſim de qualibet opinione probabili loquendo, ea, ſi tuta non appareat operanti, neque cōſcientiā moraraliter certā ingeneret, haud eſt firmiſſima morum regula. CXXXIV. Non licet propterea ſequi opinionem probabilem faventem libertati, relicta altera æque probabili, quæ ſtet pro lege ac præcepto. CXXXV. Nefas pariter eſt, ſequi opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate in concurſu opinionis probabilioris, quæ ſtet pro lege. CXXXVI. Hinc viro Theologo non licet ex ſententia quam ipſe oppugnat, cenſetq; minus probabilem; alteri conſilium dare, tametſi non ignoret eandem ſententiam tanquam probabiliorem ab aliquibus propugnari. CXXXVII. Nec homini ignaro fas eſt varios adire *Cauſiſtas*, eô animô, ut tandem inveniat aliquem benigniorem, affirmantem eſſe probabile, quod alii improbant, ſibiq; fas ſit eligere quod magis libet. CXXXVIII. Confeſſarius pariter non debet abſolutionem impendere ijs, qui ſeqvuntur opinionem minus probabilem ſtantem pro libertate, eamq; nolunt deponere. CXXXIX Sequi tamen poſſumus in qualibet materia ſive juris, ſive facti, ſententiam probabilem, quæ poſt diligentem veritatis inquiſitionem appareat oppoſitâ ſententiâ probabilior: quod in perſe notis obvijsq; præceptis legis naturæ nequit occurere. CXL. De Religione differentes affirmamus, duodecim Deos *Cenſentes*, qui & Penates, & Urbani dicti ſunt, aut octo *Selectos* inter Divos cenſere, ſummæ dementiæ eſſe. Etiam quæ apud Turcas & Mahumetanos viget Religio in ſe quidem abſolute, ſed maxime dum comparatur Chriſtianæ, apparet execrabilis. repudianda & Divino cultui hominumq; ſaluti repugnans. CXLI. Vera ſiquidem Religio, in qua oporteat nos ſalvos fieri, eſt Religio Chriſtiana. CXLII. Abs qua extorres ſunt nec hæreditatis Chriſti participes erunt qui ad normam legis Evangelicæ mores componentes in capite de Divina Chriſti natura & Incarnatione ejus à Nobis diſſentiunt, CXLIII. Et ſectæ Calviniſtarum, Lutheranorum, aliorumq; Proteſtantium, tanquam Chriſtianæ Religioni adverſæ, ſunt deteſtandæ. CXLIV. Apoſtolorum Symbolum recte Apoſtolicum dicitur CXLV. Ipſi Apoſtoli idem condiderunt. CXLVI. Vere Chriſtus *deſcendit ad Inferos*; idq; perperam appoſitum non eſt Symbolo Apoſtolorum. CXLVII. Univerſalem corporum reſurrectionem, quæ in

Sym-

Symbolo Apoſtolico aſſeritur expectandam eſſe propugnamus. CXLVIII. Ac futuram in eadem numero carne, quæ morte diſſolvitur; quamquam non eædem omnino futuræ ſint reſurgentium omnium corporum affectiones. CXLIX. Norma, & libella, ad quam fides exigenda eſt, ſtatui nequit in ſola humana ratione CL. Et Sacra Scriptura non eſt adeo aperta, & perſpicua, ut ſola ad omnia dogmata definienda ſufficiat. CLI. Quamobrem judicium de fidei quæſtionibus nequit ex ſolis Scripturis repeti ſublata vivi Judicis auctoritate; CLII. Nec idoneum erit judicium ſi fiat privato ſpiritu, & intima cujuſq; fidelis perſvaſione. CLIII. Præter Divinam Scripturam Sacræ quoq; Traditiones ſunt admittendæ. CLIV. Fides Mediatoris in veteri quoq; teſtamento fuit neceſſaria ſed non *explicita* in ejus Divinitatem, ac individuæ Trinitatis myſterium. CLV. Porro in hoc novæ legis ſtatu neceſſaria eſt ad ſalutem fides *explicita* Domin[illegible] Incarnationis, & Trinitatis: imo & ad juſtificationem obtinedam. CLVI. Neceſſaria eſt etiam ad ſalutem externa fidei Confeſſio, adeo, ut nunquam ſit licitum negare fidem. Imo nec religionem ſimulare profanorum rituum, ciborum, veſtium, nominumq; gentium Idololatrarum uſurpatione, ubi ſint ſuperſtitioſi cultus indicium. CLVII. Fas eſt aliquando, fugam in perſecutione arripere. CLVIII. Permanet vera fides in homine impio, dummodo infidelitatis crimine non ſe commaculet; Non tamen in homine hæretico: Aut in animabus corpore ſolutis, ſuoq; in termino conſiſtentibus. CLIX. Datur ſpes à fide & á caritate diſtincta; quæ non perſiſteret, in eo cui facta eſſet futuræ damnationis certiſſima revelatio. CLX. Mundanus timor vanus eſt, perverſus & noxius. CLXI. Non timor ſervilis: qui eſt bonus, utilis, ſupernaturalis, & donum DEI. CLXII. Illo tamen laudabilior eſt timor caſtus, quo timet anima ne à DEO deſeratur. CLXIII. DEUS etiam interiori caritate diligendus eſt ſemper; actu, aut virtute. CLXIV. Animarum Dei caritate flagrantium datur aliquandiu *quies*, ſed ei, quam Molinoſius invexit, è diametro oppoſita. CLXV. Status *puri amoris*, & indifferentiæ, in quo anima nullam gerat propriæ ſalutis curam, vel tanquã à DEO reprobata, nullam habet ſpem, nullumq; perfugium, atq; à ſemetipſa diviſa unice ſe Divinæ voluntati committat, fanatiſmus eſt, non caritatis perfectio. CLXVI. Non enim repugnat caritati ſervare legem intuitu ſempiternæ mercedis. CLXVII. Quiſquis putat ſe proximum diligere, dum externa tantum amoris exhibet argumenta, neq; illum interno amore proſequitur, inſigniter decipitur. CLXVIII. Dummodo certæ conditiones interſint fas eſt Chriſtianis bellum gerere; quibus tamen illicita eſt monomachia, ſive initum ex condicto ſingulare certamen. CLXIX. Injuſti aggreſſoris occiſio licita eſt, ſi à noxia cupiditate ſequeſtretur, id eſt, amori proximi non præferatur amor corporis, & defenſionem ſui moderetur pacatum rationis imperium; quod tamen in praxi raro, difficulter,

&

& forte nunquám continget. CLXX. Inter illicita oblectamenta quibus inhiat noxia cupiditas, veterum Bacchanalia sunt connumeranda CLXXI. Hæc, quomodo nunc celebrantur censeri honesta non queunt. CLXXII. Saltationes quippe, quarum in sacris literis fit mentio, damnant quam plures præsentium chorearum abusus. CLXXIII. Quisquis ergo immodice choreas agit, á culpa vix erit immunis. CLXXIV. Festis autem diebus á choreis æ saltationibus est omnino abstinendum. CLXXV. Oportet etiam ut Christianus gravem, & honestum cantum vel sonum amet; aspernetur vero mollem, inverecundum, atq; illiberalem. CLXXVI. Ludus alearum, tanquam omnis nequitiæ seminarium, eliminandus omnino est, atq; abjiciendus. CLXXVII. Consvetudo mulierum, quæ faciem cerussa, rubore, & consimili fuco obliniunt, nequissimi flagitij complectitur turpitudinem. CLXXVIII. In cultu vestium maxima præferenda est moderatio: CLXXIX. Splendidus conviviorum apparatus nonnisi á luxu corruptæ gentilitatis manavit.